

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Disputationes Chirurgicæ Selectæ

Haller, Albrecht von

Lausannæ, MDCCLV.

VD18 90538919

LXXIV. Joannis Christophori Pohlii Medicinæ Professoris, De Herniis Et
Speciatim Sarcocele. Programma.

urn:nbn:de:gbv:45:1-16590

LXXIV.

JOANNIS CHRISTOPHORI
POHLII

MEDICINÆ PROFESSORIS,

DE HERNIIS

Et Speciatim

SARCOCELE

PROGRAMMA.

Lipsiæ anno 1739.

Kr 3



LXXIV
JOANNIS CHRISTOPHERI

POHLLII

MEDICINAE PRAELECTORIS

DE HERNITIA

E. PRAELECTORIS

SAEGOCELLI

PROGRAMMA

1837 anno 1837

1837



Chirurgia, Medicinæ pars antiquissima [a], quæ manibus medetur, egregium in praxi clinica sibi vindicat usum, & non solummodo tanquam utilissima, sed maxime etiam necessaria, ab artis peritissimis explicatur atque ventilatur. Communiter vero illa a celeberrimis medicis in chirurgiam medicam & manualementalem dividitur. Medica est, quæ medicamenta, tam interna, quam externa, eligit, & ratione circumstantiarum rite adhibet. Manualis vel manibus nudis vel instrumentis externe auxilium præstat, mediante σύνθεσι, διαίρεσι, ἐξάιρεσι, ἀφαίρεσι, πρόθεσι, διορθώσι; ad quam posteriorem, manualementalem scilicet imprimis referri potest omnium herniarum tam verarum quam spuriarum medela, ita ut in curandis herniis veris partes quædam abdominis loco suo motæ, iterum in pristinum suum atque genuinum statum redigantur, in herniis autem spuriiis & impropriis partes superflue auferantur. Hernia enim vera annumeratur tumoribus, ubi relaxatum vel nimium extensum peritonæum ansam præbet, ut intestina vel epiploon aliud occupet spatium, & deinde protuberantiam præternaturalem formet. Differunt vero herniæ ratione loci, quem occupant, ortusque, quorum respectu in tres classes plerumque dividuntur. Primam speciem constituit hernia umbilicalis, seu ἐξόμφαλος, quæ oritur ex relaxato annulo tunicæ exterioris, peritonæi ligamenta, ex vasis umbilicalibus in fetu perviis ortum ducentia, cingentis. Si autem peritonæum infra hunc locum variis in partibus abdominis laxetur, muscoli externi læsi vel eorum aponeuroses in interstitiis nimium in modum expansæ, atque integumenta pressioni intestinorum paulatim cedant; tunc sistunt herniam in genere sic dictam ventralem. Secunda species inguinalis, seu βεβανοκήλη existit, quæ formatur, dum muscoli quacumque ex causa fortiter contracti, aut intestina, aut epiploon ad inguen usque elapsa, protrudunt. Tertia species emergit, si intestina vehementiori modo majorique vi depressa, in sexu potiori in scrotum, in sequiori in pudendi labra devolvuntur, sicque herniam perfectam, in viris ὀσχεοκήλην dictam efficiunt. Locus, ex quo prolapsus ortum ducit, idem est, uti in bubonocele. Nimirum processus peritonæi nimium in modum extenditur, & pressio perpetua anulum tam amplum reddit, ut intestina vehementiori motu in scrotum abeant. Quemadmodum autem ex hoc vario ortu & loco variæ herniarum denominationes provenerunt; Ita pari etiam modo diversitas materiæ, ex qua formantur herniæ, iisdem varia imposuit nomina. e. g. Si in hernia umbilicali solummodo intestina spatium implent, partemque ultra modum extendunt, insigniuntur nomine enteromphali. Interdum autem fieri solet, ut epiploon sistat herniam, hincque nomen epiplomphali ortum est. Quando e contrario intestina & epiploon sibi invicem juncta existunt, nominantur entero - epiplomphalus.

Præ-

[a] Ex veterum scriptis patet, quod Chiron Centaurus, Saturni & Philyræ filius, chirurgiæ inventor esse debeat.

Præterea si contingat, ut in hernia inguinali & scrotali intestina nuda inveniunt locum, describitur nomine enteroceles; si tantummodo omentum, epiploceles. Non raro etiam circa hernias hoc phænomenon deprehenditur, ut in enterocele colluvies fecum accumuletur, ibique moram necet, & quidem in illis locis, in quibus herniæ fuerunt ortæ; illudque maxime observatur in hernia inguinali & in scrotali, quarum repositio si ob causam superius modo allegatam difficillima existit, tunc salutantur illæ herniæ infarctæ vel incarceratæ [b]. Non ignota est distinctio in hernias completas & incompletas. Completæ sunt illæ, quæ in sexu potiori usque ad scrotum, in sexu sequiori usque ad pudoris labia vergunt: incompletæ, quæ in utroque sexu non ultra inguina descendunt. Dividuntur etiam herniæ in simplices & compositas. Interdum enim accidit, ut modo in uno & altero loco simul herniæ appareant, aut intestina & epiploon simul delabantur. Porro ab experientia compertum est, herniam propriam seu veram cum impropria, id est, cum hydro-pneumatocele, hydro-cirfocele, conjungi posse. Ad dignoscendas autem herniarum species ocularis requiritur inspectio, & hernia præcipue umbilicalis seu *Εντερόμφολος* ex tumore neque nimium molli, neque nimium duro cognoscitur; partibus autem compressis, sonus percipitur, & quando æger resupinatus jacet, in pristinum rediguntur situm intestina, herniaque mox desidit, nec magnitudine æquat reliquas herniarum species. *Επιπλόμφολος* præbet tumorem mollem, qui digitis absque murmure cedens, compressione facta, mox disparet. Bubonocele ex tumore, in inguine hærente, cognoscitur, & sumtis cibis magis accrescit, paulo supinato corpore vel sponte evanescit, vel leviori modo pressus, disparere solet. Flatus interdum ibi immorantur, & tunc ex improvviso augmentum capit, simulque ex murmure illius lateris causam intus latentem dignoscimus. Multo difficilior bubonocele, quæ jam inflammatione corripitur, a bubone venereo distinguitur, id quod ex observatione patet, quam dedit publicique juris fecit *Petrus de Marchettis* [c] hisce verbis: „Villicus quidam, bubonocele laborans, barbitonfo-
rem accessit, qui venereum bubonem cum existimaret, ejus proinde
sectionem suadebat: Quamquam æger cum nulla alia muliere uxore propria
excepta, rem se habuisse, sancte affirmaret, honesta equidem, ac
pudica; cum vero tonsor opinionem suam tueretur mordicus, atque
omnino sectione opus esse contenderet, eam tandem miser villicus admittit,
ex qua cum fæces erumperent, statim in lipothymiam prolapsus est,
tonfore obstupente. Ego vero cum casu illac transirem, vocatus, statim
digito compuli intestinum in locum proprium, applicato ovi albumine
cum sanguine Draconis, atque linteo quadruplicato compressione facta,
„ arctius

[b] Vid. *Celeb. Heisterus* pag. 587. in editione M. DCC. XIX. Ejusque dissertatio de hernia incarcerata suppurata, sæpe non lethali, Helmstadii 1717. edita. Et Domini Collatores Lufatici in collatione ad eruditionem historiamque pertinente, parte XXXIII. [c] Observationibus medic. observ. LV. pag. 145.

„ arctius nonnihil constrinxi quatuor dies , a quibus cerato demum ad herniam ab Aquapendente usus spatium decem dierum , sectæ partes coaluerunt. Tandem meo consilio totum vitæ tempus gestato cingulo multos annos incolumis vixit ”. Celeberrimus *Heisterus* [*d*] ex Hieron. Fabric. ab Aquapendente & Starpart van der *Wiel* varia recenset exempla de incongrue curatis bubonocelis ; differunt autem invicem quam maxime , ortu , progressu & causa , jam nominatæ herniæ. Præceptum est inflammatio bubonis , & gravioribus stipatur symptomatibus ; bubonocele vero ut plurimum mitioribus lentaque præsertim corripitur inflammatione. Peculiaris præterea se produnt signa ex incluso in tumore intestino , atroces plerumque dolores , frequens vomendi conatus , & convulsiones hunc morbum comitantes , quibus rebus sic stantibus facile mors sequitur. Herniarum autem verarum in scroto situm suum occupantium , signa ex tactu depromuntur , siquidem intestina hoc in loco maximam efficiunt expansionem , & tumor durus & elasticus se sistit , in entero - epiplocele , quando iterum in locum genuinum redacta fuerunt intestina , & epiploon saltem in scroto remanet , tumor mollis tactui non cedens relinquitur , qui facta tandem & hujus repositione plane evanescit. Occasionem quidem herniarum suppetitare possunt causæ variæ ; primariam tamen derivare solebant veteres a rupto peritonæo , sententiam maxime talem stabilientes , quasi peritonæum in utraque membrana rupturam passum esset , quæ vero opinio militat contra experientiam , quin potius nimia peritonæi expansio plerumque magis in culpa esse deprehenditur. At vero huic nimie dilatationi ansam præbere possunt causæ externæ & internæ. Oriuntur enim ut plurimum herniæ , dum muscoli abdominis fortiter contrahuntur , & cohibito spiritu comprimuntur , id quod maxime fieri solet saltatione , lapsu ex alto , contusione , tussi ferina , præter modum clamando , tibias inflando , magnum pondus fortiori corporis nixu attollendo , & qua sexum sequiorem partu laborioso ; in recens natis , quorum umbilico ligatura laxior fuit injecta , vagitu vehementiori , tussi ob materiam tenacem nimiam , quæ omnia efficiunt , ut intestina atque epiploon in peritonæum nimis relaxatum delapsa materiam præbeant herniis. Ad prognosin harum herniarum quod attinet , res valde anceps est , qualem inde eventum nobis promittere debeamus. Siquidem intestina ita delapsa in junioribus subjectis facilius , in debilibus difficilius pristino suo loco & statui restituntur. Herniæ umbilicales infantibus quidem familiares sunt , quam adultis , citius tamen & meliori modo curari possunt , nisi inflammationes accedant ; in majorem autem incrementum mox in adultis , quam in juvenibus. Præterea fæminis , quæ utero gerunt , herniæ periculosiores sunt. Idem iudicium esto , si in sexu potiori colica , in sequiori passio hysterica superveniat. Inflammationes , conatus vomendi , rejectiones fecum alvinarum per os , convulsiones , sudores frigidi mortem instantem prænunciant. In cura ante omnia

Tom. III.

S s

repo-

[*d*] In jam laudata dissertatione de hernia incarcerata.

repositio intestinorum tentanda erit, quæ corpore ægri resupinato mediante leniori & successiva intrusione optime peragitur. Deinde opera danda, ut intestina reposita in situ suo, mediante fascia, circulo frequenti abdomen cingente, retineantur, qua sola deligatione Herniæ in infantibus plerumque curantur. Elasticitas demum atque tonus fibrarum in nimia expansione peritonæi de novo est conciliandus. Si vero omnia hæc frustra adhibentur, tandem ad sectionem chirurgicam confugiendum erit, & quidem priusquam vehemens inflammatio accedat, quæ tamen operatio non omni periculo vacat, testibus celeberrimis chirurgis [e]. Postquam igitur generaliora hactenus de herniis veris exposuimus; nunc ordo tangit hernias improprias seu dictas spurias a flatibus, sero extravasato, excrescentiis, retardato sanguine, atque semine stagnante, ortum suum ducentes, perquirere. Harum in numerum referri possunt omnes tumores, qui hernias tantummodo mentiuntur, & qui propterea tam ratione loci, quem occupant, quam respectu materiæ, quam in se continent, varias acceperunt denominationes. Sic enim tumor in gutture bronchocele, in ventriculo gastrocele, in variis partibus e materia sero simili enatus steatocele, aut ex saburra tophacea coacervatus, porocele, in umbilico ex sero stagnante hydromphalus, ex flatu pneumatophalus, e sanguine infarcto varicomphalus, e carne luxuriante sarcomphalus, in scroto & testiculis tales tumores ex iisdem causis hydrocele, pneumatocele, variocele seu cirfocele & sarcocele vocari solent. De quibus omnibus ex instituto egit *Gaspar Hoffmannus* [f]. Temporis & instituti nostri ratio non permittit, ut omnes & singulas herniarum species prolixè explicemus, sed potius de *sarcocele* tantummodo quædam adhuc monere nobis est animus. Variam apud auctores invenimus hujus tumoris descriptionem pariter atque denominationem. *Græci* vocant *σαρκοκήλην*, *Celsus*que [g] raro, inquit, sed aliquando caro quoque inter tunicas (testiculi) increfcit. *Galenus* [h] testiculos vocat induratos & in aliis locis [i] eandem cum scirrhis comparat. Moderni sarcocele interpretantur, quoties carnosum quiddam in scroto testibus adnascitur. Juxta acta *Haffniensia* [k], „Sarcocele „ non tam adnascitur testibus, quam innascitur, hoc est, totum testem, „ ejusque vasa omnia materiæ novæ accessu ita infarcit, ut aliquando etiam „ vigecuplo se ipso gravior ampliorque evadat.” Secundum nostrum conceptum propriamque observationem sarcocele est tumor testiculorum fibrosus & carneus, plus minus durus & dolorosus successive ortus, qui aut totam testiculi substantiam auget, inque molem carni similem convertit, aut saltem

[e] Videatur celeberr. *Heist.* in chirurgia pag. 592. ubi sententiam suam de sectione in herniis scroti explicat.

[f] In institutionibus medicis pag. 49.

[g] Libr. VII. cap. XVII.

[h] Libr. de tumor. præt. nat.

[i] L. XIV. meth. med.

[k] Vol. 1. observ. 97. pag. 188.

saltem parti hujus adnatus excrescentiam veluti carnosam format. Hic tumor, nisi mature discutitur, in scirrhum aut exulcerationem carnosam tandem abit. Ab experientia satis compertum est, sarcocelen interdum complicari cum hydrocele, tuncque nomen sortitur hydro-sarcocelis. Quæ vero iterum duplicis constitutionis esse solet. Sero enim extravasato, & ex tunicis testiculos ambientibus in scrotum emisso, paulo post durior in concretum prodit testiculus, remanente autem sero in testiculi substantia inclio, tactui se non manifestat. Interdum etiam utriusque hujus mali indoles ita est comparata, ut perscrutari aut distinguere non satis valeamus. Ejusmodi exemplum recenset *Fabricius Hildanus* [1], ubi cum aliis in consilium vocatus, non solum carnem circa dextrum testiculum concretum, verum etiam scrotum serosis humoribus ita extensum reperit, ut magnitudinem infantis fere adæquaret. De cætero observationes loquuntur, sexum potiore sarcoccele simplici sæpius vexari, quam malo complicato, cui etiam aliquando regiones seu climata ansam præbere videntur. Inter alia verba lectu sunt digna, quæ celeb. *Hoffmannus* [m] eam in rem profert: „Gallos, inquit, „infestant febres atque lumbrici, hydrocele atque sarcoccele, quos tumores „ab immodico nucum castanearumque usu provenire arbitratur. Ob humorum crassorum ad testiculos decurrentium, atque partis affectæ debilitatem ortam esse sarcocelen, *Guido* & alii existimant. Cui sententiæ *Petrus Francus* [n], *Felix Platerus* [o], simul subscribere videntur. Ex contusione vasorum spermaticorum in scroto, item ex succo e vasis illis luxuriante hernias aliquando oriri, sententia est *Vesalii* [p]. Præterea nec aliæ quidem causæ contemnendæ, quarum hinc & inde in observationibus suis mentionem faciunt auctores practici. Sic *Hildanus* [*] recenset sarcocelen ex regressu seminis in actu venereo ortam, & cum variis symptomatibus inde sequutis stipatam; nempe: „Generosus quidam juvenis, cum amassam suam amplecteretur, atque cum ipsa in actu venereo esset, & jam semen ejaculare vellet, a quodam cubiculum ingrediente in actu ita deturbatus fuit, ut semen retrocesserit, retentumque fuerit; unde ingens ipsi dolor in inguine enatus est, & testiculi intumuerunt. Paulo post dolor in sinistro inguine sua sponte remisit, circa dextrum vero tumor remansit, qui successu temporis in ingentem herniam carnosam excrevit. Neque silentio prætereundæ sunt contusiones testiculis maximam vim adferentes, cujusmodi a causis ortam sarcocelen variis notatu non indignis accidentibus stipatum legimus in ephemeridibus N. C. [q] exemplo viri honesti, qui jactu crepidæ,

S s 2

[1] Cent. 4. observ. 64.

[m] In volumine dissertationum physico-medicarum, Lugduni Batav. 1713. in 8. editarum.

[n] Libr. de herniis cap. 23.

[o] Tract. 3. cap. de causis protuberantiæ.

[p] Libr. V. cap. 23.

[*] Cent. IV. observ. 64.

[q] Centur. I. & II. observ. CXXVI.



pidæ, sinistrum inguen & scrotum graviter non sine insigni dolore læsus sinistrum testiculum sensim ac sine sensu incrementum aliquod notabile cepisse, ac multo majorem suo a dextris vicino factum, animadvertit. Similiter beatus *Etmullerus* [r] sarcocelen cujusdam subjecti descripsit, in quo scrotum secundum omnes dimensiones valde magnum, & ad genua usque propendit. Testiculi ad latera in superiori parte absconditi fuerunt, qui contracti aut compressi doloris sensum excitarunt. Singulare & miratu dignum sarcocelen & totius membri genitalis tumoris vasti rarissimique in cadavere mense Junio MDCCXXV. secundo exemplum e theatro anatomico Lipsiensi communicavit illustris *Waltherus* [s], præceptor meus omni honoris cultu prosequendus: „ At magnitudinem saltem declarare, & quæ nobis „ anatomen exercentibus de præputio venerunt, adjicere licebit, ut adeo „ supra descriptam, pondusque librarum quadraginta, omnium tumor accederet, id tunicæ, quæ dartos audit, deberi profiteamur, quæ cellulosa, laxa, flaccidaque est, & quasi luxuriat, nec solum in scroto subsistit, „ sedem utroque scroti latere veluti duplicata assurgit, septumque futura „ externa indicat, constituit, sicut *Rawius* ostendit. Et in sequentibus. „ Tota „ distantia ab inguine ad præputii extremitatem unius ulnæ est, cum „ octava parte, cum sinistro autem testiculo saccum, fundo ejus appensum, „ membranaceum & pellucetum extraximus, quem tunica vaginalis effecerat, hic duas libras feri parum tincti intra sinum suum receperat, capsæ adhærebat, sicut in dextro testiculo formatae, quæ hinc inde nonnihil „ exeso humorem priori similem, loculosque perpaucos, tophum denique „ minorem scutiformem & duobus foraminibus instructum. Pariter rarissimum sarcocelen varia post suppuratione eructantis officula casum reperimus descriptum in Ephemeridibus N. C. [t]. Ad sedem hujus mali quod spectat, in varias abeunt sententias varii auctores. *Bauhinus* in theatro suo anatomico opinatur testiculum dextrum non tam facile affici posse, quam sinistrum. „ Cum dexter forsan testiculus ob majorem per vasa majora eo delatam sanguinis copiam sit calidior sinistro, & per consequens robustior. E contrario *Fabritius Hildanus* [u] imprimis defendit, sarcocelen firmissimam occupare sedem in parte dextra. „ In tota praxi mea unicum solummodo, ex „ sinistra parte laborantem hernia carnosâ (quæque tandem in cancerum exulceratum atque insanabilem degeneravit) me vidisse memini. „ Mihi ipsi contigit ejusmodi casus in milite quodam munere Armiductoris in Arce Pleissenburg fungente, & sarcocelen testiculi sinistri anno MDCCXXXVII. laborante, qui tunc annum quadragesimum ætatis suæ septimum agens, animi sui recreandi gratia iter equo vehendo suscipiebat, in reditu vero, cum bene ebrius equum ascendisset, pressione testiculum sinistrum ita læsit,

ut

[r] In programme 1723. in Dni. Steinfeldi promotione edito.

[s] Vid. Acta Erud. Lips. an. 1725. p. 492. 495. seqq.

[t] Anno III. decur. annorum secunda observ. XIX.

[u] Cent. 4. observ. 64.

ut maximus humorum affluxus per breve temporis spatium inde sequeretur, tumorque in dies augetur, & scrotum progressu temporis tandem in eam magnitudinem extenderetur, ut amplitudine enterocelen mentiretur. Cum vero nihilo secius paulo post iterum equo ivisset, sicque miser testiculum jam affectum ephippio nimium impegisset, scrotum adhuc in majorem augebatur magnitudinem. Hinc circumforaneus quidam accersitus omnem quidem adhibuit operam, ut mentiens enterocoele reponeretur; ubi tamen perpetua manuum compressione dolores maximum in modum aucti fuere. Qua rerum facie existente ego cum chirurgo ordinario in auxilium vocatus, in partibus scroti externis inflammationis vehementioris signa deprehendi. Qua propter cataplasmata ex emollientibus atque discutientibus a chirurgo applicabantur; interne medicamenta praescribentur, quae imminenti inflammationi obicem ponerent. Quibus tamen non obstantibus, omnia in pejora ruebant, & undecimo post secundam contusionem die omnes cessabant dolores, gangraena atque sphacelus imminabant, maculae imminentes gangraenae usque ad regionem umbilicalem se manifestabant, vitamque paulo post cum morte mutabat aegrotans. Proximo die cadaveris instituebatur sectio, scrotum in peripheria caput infantis recens nati aequabat, apertis illius integumentis tota testiculi substantia in materiam purulentam abiisse conspiciebatur; cujus etiam materiae parum tinctae in cavitate scroti sinistra ultra septem repertae atque evacuatae sunt unciae, tunicae substantiam ambientes, cremaster nempe maxima ex parte adhuc integer in conspectum veniebat, tunica autem vaginalis & albuginea dilaceratae atque emaciatae, vasae spermaticae & corpus pampiniforme sphacelatae apparebant, testiculus dexter adhuc involvebatur suis tunicis, signa gangraenae imminabant, & hujus indicia adhuc in abdomine circa anulum processus peritonaei, inque variis intestinorum partibus animadvertentur; reliqua autem viscera optime se habebant. Sed sufficiant haec tam de origine, quam de constitutione sarcocoeles. Jam vero paucissimis adhuc verba sunt facienda de ratione mali ipsius curandi. Ubi vero varii occurrunt auctores sententiam foventes, *σαρκοκήλη* discuti posse medicamentis internis resolventibus, externe autem discutientibus. Credit *Matthiolus* in *dioscoridem*, credit *Scultetus* in *armam*, chirurg. sese sarcocelen pulvere ononidis percurasse, attamen veritati simillimum mihi videtur, hydrocelen forsan duriori cortice circumdatam, atque adeo sarcocelen mentientem hocce medicamento curatam fuisse. Alii fofus ex aceto lavendulae, ruta, theriacae commendant. Si haec omnia non conducunt, & sarcocoele in dies magis incrementum capit, dolores non remittunt, & cancer jam imminet, sectio chirurgica testiculi male affecti est instituenda. Quam operationem ex instituto descripsit *Celeberr. Heisterus* [x] simulque varias docet enchirifes, ut eventus sequatur exoptatus. De felici hujus operationis eventu, sectionem nimirum sarcocoeles in vico Aurigarum a *Lithotomo Laurentio Nicolai* feliciter & dextre fuisse administratam, in act.

S s 3

Huffn.

[w] In chirurgia p. mihi 594. & 598.



Haffn. [y] sequentia legimus observata : „ Nempe aperta cute inguinis dex-
 „ tri, testiculus dexter, qui ad capitis puerilis magnitudinem excreverat,
 „ separato *κατα δάρον* scroto, extractus, & resectis vasis spermaticis pro-
 „ fus exemtus fuit, magno militis alias cordatissimi ejulatu. Ligatis vasis,
 „ confutum scrotum & cætera, ut vulnus decet, curata. ” Tormentoribus obli-
 „ tus ad militares rediit functiones. Varia abhuc recensentur exempla in actis
Haffn [z]. de optato hujus chirurgiæ manualis successu. „ Sic mercatori
 „ famio ablatum fuit ferro chirurgi ramicosus testis, ponderans semiuncias
 „ XXXIV. durus ille quidem toto corpore & massæ carneæ nervosis hinc
 „ inde gyris distinctæ similis, sed neque ad latus, neque in gremio suo ul-
 „ lum alium testiculum naturalem complexus. ” Atque hæc sunt, quæ hac
 vice in medium proferre mecum constitui.

[y] Observ. 28. pag. 59.

[z] Vol. I. observ. 97. p. 188.

DISSER.



L X X V.

DISSERTATIO
MEDICO-CHIRURGICA,

D E

HYDROCELE.

Quam Præside

D. D. LAUR. HEISTERO;

Tuebatur

MARTIN. ARNOLD. BUTZER

EMBDANENSIS.

Helmstadii 30 Decembris anno 1743.

